

Directions : Highlight all main verbs in one color, all participles in another, and all infinitives in a third color. Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid I.393-406

Aspice bis sēnōs laetantēs agmine cyncnōs,
aetheriā quōs lāpsa plagā Iovis āles apertō
turbābat caelō; nunc terrās ordine longō 395

aut capere aut captās iam dēspectāre videntur:
ut reducēs illī lūdunt strīdentibus ālīs
et coetū cīnxēre polum cantūsque dedēre,
haud aliter puppēsque tuae pūbēsque tuōrum
aut portum tenet aut plēnō subit ōstia vēlō. 400

Perge modo et, quā tē dūcit via, dērige gressum.'

Dīxit et āvertēns roseā cervīce refulsit,
ambrosiaeque comae dīvīnum vertice odōrem
spīrāvēre; pedēs vestis dēflūxit ad īmōs,
et vēra incessū patuit dea. Ille ubi mātrem 405
agnōvit tālī fugientem est vōce secūtus:

Directions : Write the case, gender, and number for every noun. Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid I.407-422

`Quid nātum totiēns, crūdēlis tū quoque, falsīs
lūdis imāginibus? Cūr dextrae iungere dextram
nōn datur ac vērās audīre et reddere vōcēs?'

Tālibus incūsāt gressumque ad moenia tendit. 410

At Venus obscūrō gradientēs āere saepsit,
et multō nebulae circum dea fūdit amictū,
cernere nē quis eōs neu quis contingere posset
mōlīrīve moram aut veniendī poscere causās.

Ipsa Paphum sublīmis abit sēdēsque revīsit 415

laeta suās, ubi templum illī, centumque Sabaeō
tūre calent ārae, sertīsque recentibus hālant.

Corripuēre viam intereā, quā sēmita mōnstrat.

Iamque ascendēbant collem, quī plūrimus urbī
imminet, adversāsque adspectat dēs super arcēs. 420

Mīrātur mōlem Aenēās, māgalia quondam,
mīrātur portās strepitumque et strāta viārum.

Directions : Give the case, gender, number, tense, and voice for every participle. Underline main verbs twice. Put all subordinate clauses in []. Put all phrases in (). Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid I.423-436

Instant ardentēs Tyrii: pars dūcere mūrōs,
mōlirīque arcem et manibus subvolvere saxa,
pars optāre locum tēctō et conclūdere sulcō; 425

iūra magistrātūsque legunt sānctumque senātum.

Hīc portūs aliī effodiunt; hīc alta theātrīs

fundāmenta locant aliī, immānēsque columnās

rūpibus excīdunt, scaenīs decora alta futūrīs.

Quālis apēs aestāte novā per flōrea rūra 430

exercet sub sōle labor, cum gentis adultōs

ēdūcunt fētūs, aut cum līquentia mella

stīpant et dulcī distendunt nectare cellās,

aut onera accipiunt venientum, aut agmine factō

ignāvum fūcōs pecus ā praesēpibus arcent; 435

fervet opus redolentque thymō fraglantia mella.

Directions : Give the person, number, tense, mood, and voice for every indicative or subjunctive verb. Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid I.437-449

“Ō fortunātī, quōrum iam moenia surgunt!”

Aenēās ait et fastīgia suspicit urbis.

Īnfert sē saeptus nebulā (mīrābile dictū)

per mediōs, miscetque virīs neque cernitur ūllī. 440

Lūcus in urbe fuit mediā, laetissimus umbrae,

quō prīmum iactātī undīs et turbine Poenī

effōdēre locō signum, quod rēgia Iūnō

mōnstrārat, caput ācris equī; sīc nam fore bellō

ēgrēgiam et facilem victū per saecula gentem. 445

Hīc templum Iūnōnī ingēns Sīdōnia Dīdō

condēbat, dōnīs opulentum et nūmine dīvae,

aerea cui gradibus surgēbant līmina, nexaeque

aere trabēs, foribus cardō strīdēbat aēnīs.

Directions : Highlight all main verbs in one color, all participles in another, and all infinitives in a third color. Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid I.450-463

Hōc prīmum in lūcō nova rēs oblāta timōrem 450

lēniit, hīc prīmum Aenēās spērāre salūtem

ausus, et adflīctīs melius cōnfīdere rēbus.

Namque sub ingentī lūstrat dum singula templō

rēgīnam opperiēns, dum quae fortūna sit urbī

artificumque manūs intēr sē operumque labōrem 455

mīrātur, videt Īliacās ex ordine pugnās

bellaque iam fāmā tōtum vulgāta per orbem,

Atrīdās, Priamumque et saevum ambōbus Achillem.

Cōnstitit, et lacrimāns, “Quis iam locus,” inquit, “Achātē,
quae rēgiō in terrīs nostrī nōn plēna labōris? 460

Ēn Priamus. Sunt hīc etiam sua praemia laudī,

sunt lacrimae rērum et mentem mortālia tangunt.

Solve metūs; feret haec aliquam tibi fāma salūtem.”